

siae a Dioecesi Aquensi fuerint detractae, cur Aquenses prae aliis conterminis populis soli in hac exagitatissima de Episcopatu apud varios iudices causa actores compareant, cur tandiu qua forensibus litibus, qua diuturno bello ac acerbissimis praeliis cum Alexandrinis dimicaverint, cur in omnibus fere quae Alexandrini cum Marchionibus ac liberis Civitatibus adversus Aquenses foedera percusserunt, illud imprimis, et speciatim ab ipsis postulaverint, ut eos ad habendum Episcopatum adjuvarent, cur unio facta fuerit in Episcopum Aquensem, minime vero in Astensem vel Terdonensem vel Papiensem, ut in ejus opinione fieri debuisset, cur detracta ab Alexandria Civitate Episcopali dignitate in Bullis, decretis, Epistolis summorum Pontificum appellatam videamus *Aquensis Dioecesis*; cur in nova Episcopatus restauratione irritam faciat S. Pontifex Innoc. VII. quamlibet ejus cum Ecclesia Aquensi *unionem*; sileat vero de quibuscumque aliis contiguis Dioecesibus, ex quibus tamen tot tantaeque in ejus sententia detractae fuerunt Ecclesiae ad Alexandrinam conflandam. Quod autem ipse respondet agere Pontificem de unione, quae fuisset, non quam adesse reapse putaret, ut indicatum putat per ea verba, *si quae forte reperiretur*. (Vid. Epist. secund. p. 16. Astae talice impressam) est nodum in scirpo quaerere, ut est in proverbio. Haec enim difficultas evanescit, si prae oculis habeantur, quae non sub conditione neque hypothetice, neque dubitanter, sed affirmative et asseveranter initio constitutionis testatus Pontifex fuerat, nimirum Alexandriam *Dioecesis Aquensis terram* esse. Sed praestat ipsa verba adscribere ex ipsa Bulla Part. II. col. 81. n. 33. desumpta his verbis. *Hodie si quidem suadentibus certis rationabilibus causis cum fratribus nostris consulta et digesta deliberatione praehabita quamcumque unionem, annexionem seu incorporationem de Ecclesia S. Petri de Terra Alexandriae in Lombardia AQUENSIS DIOECESIS Ecclesiae Aquensi Apostolica vel aliquaquavis auctoritate sub quibuscumque modo forma, vel conceptione verborum factam, si quoquo modo reperiretur ec. penitus dissolventes illam ex nunc revocavimus ec.* In hisce autem quis non videt haec posteriora referenda esse ad praecedentia, in quibus Alexandria Aquensis esse Dioecesis affirmatur sine dubitatione? Consensus autem iste per tot secula, actis publicis Pontificum, Episcoporum, rerumque gestarum serie innixus usquequaque cohaerens sibi que ab exordio usque ad hanc revocationis constitutionem per omnia respondens, non erit antiquae ac veteris sententiae firmissimum praesidium, ac proinde ipsius veritatis certissimum indicium? Plura in hanc rem afferre in medium possem, sed ea alterius loci. Haec solum protuli, et ut consilii mei rationem proderem, eamque a praejudicatae opinionis hominibus, qui hujus meae collectionis consilium culpae vellent, in genere vindicarem.

Illud forte longius a meo proposito distare, quis dicet, quod complura documenta collegerim, ad antiquos Marchiones spectantia. Quid vero haec cum historia Aquensi? Plurimum sane. Hospes enim, ac in rebus nostris peregrinus sit oportet, qui nesciat quantum cum historia Aquensi veterum Marchionum notitia jungatur? Quis enim ignorat quinque illorum vetutissimas propagines in hac Dioecesi sedes suas habuisse, vel ibi late dominatos, quod haud scio an alteri provinciae uspiam obtigerit? Nonne Sezadium, Ineisa, Ponzonum antiquissima illius dioeceseos oppida nomina sua diversis Marchionum stirpibus, quibus inter se distinguerentur, largiti sunt? Carrectenses vero, ac Boschenses a finitimis oppidis denominati, quae quantaque hujus Dioecesis loca cum imperio tenuerunt?